


AB

153596





1. Baumgarten / Sigism. Jac. / Inſtitutionum Hermeneuticarum, Particula prima, de Interpretatione Scripturae Sacrae. Halle, 1752.
2. IV Symbola Theologica, Halle, 1752.  
Commentatio in
3. Versionem Theoticam Symboli Athanasiani; Halle, 1752.

005



SIGSIM. IACOBI BAVMGARTEN  
INSTITVTIONVM  
HERMENEVTICARVM


PARTICVLA SECVNDA

DE  
SENSV  
SCRIPTVRAE SACRAE

---

AD  
BREVIARII HERMENEVTICI

CAP. I §. v - viii.



HALAE

APVD IOH. IVST. GEBAVER. MDCCLII.



SIGILLUM IACOBI DAVIDARTII  
INSTITUTIONVM  
HERMENEVTICARVM

PARTICVLA SECVNDA

DE  
SERMONIIS  
SCRIPTURAE SACRAE

BREVARIII HERMENEVTICAE





CAPVT PRIMVM,  
DE SENSU SCRIPTVRAE SACRAE.

§. XIII.



uum interpreti scripturae sacrae in eo elaborandum sit, ut verum illius sensum efficiat, ipsa vero interpretatio certa intelligentia veri sensus terminetur (§. I): consequitur 1) sensum hunc verum certumque constituere finem tam interpretationis, quam artis interpretandi seu disciplinae *hermeneuticae* (§. I. III); 2) operationes ab interprete perendas pendere, dirigi et determinari ab hoc fine rite constituto, atque recte perspecto, et intelligenter considerato; ac 3) denique per leges methodi *ad scientiam regularum interpretandi pertinere, ut illius pertractandae a sensus veri certique constitutione initium fiat*, sine cuius distincta cognitione regularum ratio reddi aut demonstratio institui nequit.

Ordinis ratio.

Ex scholasticorum formulis sensus vocatur hermeneuticae disciplinae *finis obiectivus*, cui destinatur, certa vero sensus veri intelligentia *finis formalis*, cuius obtinendi causa omnis interpretatio suscipitur.



## §. XV.

Significatio-  
nis vocum  
definitio.

*Voces sunt signa, quibus determinatae rerum repraesentationes in aliis excitantur: atque adeo 1) ad cognitionem symbolicam pertinent, eiusque insignem et potissimam partem efficiunt; 2) naturali facultate characteristica formantur atque ad regulas artis combinatoriae exiguntur; et 3) recognoscendis magis quam producendis rerum repraesentationibus inseruiunt, licet copulationibus suis innumeras nouarum rerum cogitationes iuuent. In copulatione vero vocis cum determinata repraesentatione consistit illius significatio. Vnde constare potest, significatus vocum pendere ab vsu et arbitrio eorum, qui primi illis rerum repraesentationes notarunt et designarunt, etiamsi quaedam voces pronuntiatas ad sonum naturalem rerum designatarum prope accedant, eumque vel exacte referre videantur vel imitentur, atque hanc ob rem a nonnullis naturales et ὀνομαστοποιήσις vocentur.*

*Voces et vocabula, neque minus dictiones, nomina, verba et termini idem hic valere poterunt, licet opportune etiam distingui possint, neque semper sine incommodo et detrimento promiscue ponantur. Singulis vero et metonymiam et synecdochen inesse, nemini obscurum erit, in primis si orationis seu sermonis et pronuntiati siue ore prolati, et scripti seu litteris designati particulas singulas denotant. Si lingua latissime sumpta vel omnem cogitationum suarum cum aliis communicationem denotat siue rebus et actionibus siue signis adhibitis peractam, vel hanc posteriorem duntaxat vniuersam: recte se habet definitio commemorata, neque latior est suo definito seu termino eadem circumscribendo; quum et pantomimorum aequae ac hominum mutuum adhibiti modi exprimendi sensa sua et hieroglyphicae scripturae varia genera omni coarctatione finitionis huius per soni articulati eiusque litteris seu characteribus notati mentionem adiectam, quae ipsa tamen posterior neque chinensi scripturae conueniret, a vocum et linguae denominatione excluderentur. Quod si vero strictius sumpta lingua eam tantum cogitationum*  
com-

communicationem significat, quae et ex proprietate notationis huius ore linguaeque subsidio peragitur, et descriptione signorum fonis articulatis constantium nouis symbolorum notis seu litterarum figuris et characteribus adhibitis: cum plura omnino requiruntur ad definitionem vocum, quae tamen vniuerse et generatim formari nequit sine distributione seu commemoratione modorum diuersorum ad illarum vel pronuntiationem vel descriptionem pertinentium, cuiusmodi partitiones a definitionibus rectius arcentur; tum ipsa propositio sine veri certique iactura *axiomatis* vices sustinere potest, vel experientia efficiendi vel ex definitione desumendi, qualis demum cunque efformaretur. Licet illorum sententia verissima sit, qui existimant homines linguae usum diuinitus edoctos fuisse, seu Dei reuelatione artem loquendi cognitam compertamque habuisse, quod PATR. DELANY libri, quem inscripsit *Revelation examin'd with candour* tom. I sect. 4, versionis *germanicae lemkerianae* p. 51 etc. satis euictum dedit, aliisque argumentis verisimillimis confirmari potest: tantum abest vt ea vel nexus arbitrarius, qui inter voces tanquam signa et res signatas intercedit, impugnetur et infirmetur, vel plerarumque linguae omnium primae formatio ab ipsis hominibus facta negetur, vel linguam primaeuam naturalem atque arcanis doctrinarum mysteriis refertam fuisse efficiatur; vt potius opinionum harum omnium falsitas exinde luculenter appareat. Multo minus vero audiendi sunt, qui fanatico ingenio abrepti alphabetum naturae somniarunt. Neque faciliorem vel foecundiorum reddiderunt linguae *hebraicae* intelligentiam, sed impeditiorem et incertiorum, qui semina vocum in litterarum ductibus eorumque significatu formali et hieroglyphico obuia sine ratione excogitarunt; quorum opinionis ad eruendas emphases potissimum profuturae curatius discutiendae opportunior locus dabitur capite septimo.

## §. XVI.

Quum is demum loquatur, qui voces ita copulat vt <sup>Quid sit sensus?</sup> illarum significationes iudicia indicent et propositiones efficiant, seu nexum notionum idearumque in iudicando expriment

mant et cum aliis communicent, sensum vero is percipere dicatur, qui intelligit quid loquens sentire, iudicare, enuntiare et velle videatur: sequitur, vt *sensus* 1) *nexu significationum ad iudicandum sufficientium constet*, seu serie repraesentationum a loquente enuntiarum; 2) in sermone tantum locum inueniat, atque vel plures vel vnam saltem propositionem seu enuntiationem requirat; 3) vocum significationibus carere nequeat; 4) iisdem tamen solis et sigillatim perspectis nondum obtineatur; sed 5) tunc denique intelligatur, si ea significationum copulatio perspiciatur, quae ad iudicandum sufficiat. Potest igitur aliquis non solum singularum vocum ad vnam omnium in sermone obuiarum, sed plurium etiam connexarum iudicium vero seu propositionem non exprimentium, quas phrasas seu locutiones et modos loquendi vocamus, significationes cognitae et perspectas habere, et nihilo secius sensum illius ignorare; si illum earundem nexum, qui ad iudicium efficiendum requiritur, non perspexerit.

Vt litterae significatione carent, nisi voces efficiant, quae nonnunquam vnica littera constant, licet voces ex litteris componantur: ita nulla vox quamuis significantissima sensum praestit, nisi vel ad determinandam integram propositionem sufficiat, cuiusmodi enuntiationes scholastici *de primo adiacente* vocarunt; vel in sermone abrupto et elliptico reliquae suppleantur ad intelligentiam necessariae. Neque hic obiici poterunt exclamations et particulae sensationem aliquam exprimentes, quae licet significatione non destituantur, sensu tamen carent, donec ratiocinando vel coniciendo ex illis enuntiatio deriuetur, atque ex illarum destinatione propositio eliciatur. Perperum igitur *latinum sensus* et *significatus*, *germanorum* vero *Verstand* et *Bedeutung* confunduntur, si pro synonymis habentur et promiscue ponuntur.

## §. XVII.

Quid verus  
sensus?

*Si sensus sermonis cum serie repraesentationum loquentis, quas enuntiare atque cum aliis communicare voluit,*  
con-



*conuenit, verus dicitur:* etiamsi vel cum rebus ipsis, vel cum cognitione animique sententia loquentis ipsi non conueniat. Quoties enim aliquis vel falsa et erronea loquitur, vel simulando, dissimulando et mentiendo alia pronuntiat, quam quae ipse sentit: toties verus sensus non solum vel a rebus ipsis vel a loquentis sententia discrepabit; verum etiam falsus euaderet, si ad obiectorum constitutionem aliunde cognitam exigeretur et conformaretur. Verus igitur sensus a fine proposito et destinatione loquentis pendet et determinatur.

Hinc apparet 1) illum, qui vel nullarum cogitationum per alterius sermonem determinatarum, vel nullius nexus repraesentationum excitatarum, quo cohaereant, a se perspecti sibi conscius est, nihil intelligere, etiamsi singulas voces intelligat (§. XVI), seu nullum plane sensum consequi; 2) illum vero, qui ad alterius sermonem cogitat, seu repraesentationes consequitur vel diuersas vel plures vel pauciores vel aliter connexas, quam loquens excitare et producere verbisque adhibitis cum aliis communicare vult, perperam intelligere sermonem, eique falsum tribuere sensum, etiamsi argumento et obiecto seu rebus propositis vel maxime conueniat; 3) non sufficere ad rerum sensum quamlibet conuenientiam illius cum cogitationibus et cognitione loquentis, sed requiri ad eius constitutionem, vt non solum conueniat cum serie cogitationum loquentis, qua talis, seu reduplicatiue et restrictiue sumti, vel cum cogitationibus, quas sermone suo producere vult, eisque non repugnet, verum etiam eandem plane seriem cogitationum referat nihil immutatam auctam et immutatam; et 4) dari gradus huius veritatis sensus, etiamsi nulla ratio diuersae conuictionis de eadem habeatur.

### §. XVIII.

Duplex veritatis genus interpretis industriam exercet, sollicitè distinguendum. *Vnum* absoluitur conuenientia sensus cum fine loquentis (§. XVII), atque veritas *exegetica* seu *hermeneutica* vocatur, vel ratione interpretis habita *formalis*

Discrimen  
veritatis her-  
menenticae  
ab obiectiua.

*formalis et subiectiua*; in cuius inuestigatione disquisitione et approbatione ipsi potissimum elaborandum est. Alterum consistit in conuenientia sermonis recte intellecti cum argumento suo, seu rebus ipsis illo propositis: quae habita interpretis ratione *obiectiua* dicitur, atque pro discrimine obiectorum triplex est; *historica*, si narrationes cum rebus gestis conueniunt; *doctrinalis* seu *dogmatica*, si propositiones vniuersales in sermone obuiaae cum ipsis doctrinis, quas exhibent, conueniunt, seu aliunde effici possunt; et *moralis*, si asseuerationes loquentis, quibus vel cognitionis et sententiae suae praesentis fidem facit, vel actionum futurarum fidem dat, cum ipsiusmet tam sententiis et decretis seu animo quam officio et obligatione conueniunt. Singula haec veritatis obiectiuae genera ab interprete non solum inter se probe distinguenda sunt, quum non semper cohaereant, sed *historica* et *dogmatica* veritas a sermone abesse possit salua veritate *moralis*: verum etiam a veritate hermeneutica curate discerni debent; quum neque veritas sermonis cum veritate sensus neque veritas hermeneutica cum obiectiua ita cohaereant, vt ex praesentia prioris praesentia posterioris vel ex absentia posterioris absentia prioris semper et necessario consequatur seu derivari possit.

Ad alterum genus veritatis obiectiuae referri etiam potest conuenientia argumentorum seu rationum tam probantium quam mouentium cum ipsis propositionibus, quae aliis approbari debeant. Nullum genus ad veritatem sermonis referendum, ab interprete plane ignorari aut praetermitti potest: cum singulae in constituendam et comprobendam probabiliter veritatem hermeneuticam influant, quotiescunque in sensus verisimilitudine ponderanda et diiudicanda veritas sermonis ad rationes probabilitatis sensus iure refertur, isque sensus aliis recte praefertur atque tamdiu verisimilior reliquis habetur, qui veritatem sermonis intactam relinquit, supponit et confirmat, donec contrarium indubie appareat vel

vel

vel rationibus verisimilioribus saltem probabilius efficiatur. Ab interprete scripturae sacrae autem longe maiorem, quam ab humanorum sermonum scriptorumque interpretibus requiri industriam et sagacitatem, vtramque veritatem sensus et sermonis tam recte discernendi quam intelligenter copulandi, vnamque ad alterum exigendi, illico apparebit.

## §. XVIII.

Licet diuina inspiratio ad omnes scripturae sacrae libros singulasque illorum partes pertineat, earumque certam et necessariam veritatem praestet: nihilo tamen fecius veritatis obiectivae eorum, quae in scriptura sacra perhibentur, non vna eademque ratio est, sed insigniter diuersa, pro discrimine sermonum in eadem obuiorum. Quoties enim cunque scriptores diuinitus acti aliorum sermones in litteras retulerunt, veritas enarrationis *historica* sermonum habitorum certa semper et indubia redditur; argumenti vero sermonum recitatorum veritas interna et *historica* et *dogmatica* et *moralis* aliunde pendet, atque examinis et confirmationis indiget, vel ex conditione et auctoritate loquentis, vel ex rationibus et testimoniis fidem facientibus deriuandae. Solis igitur sermonibus ipsismet DEI, CHRISTI *θεου θεώπου*, diuinitusque legatorum vel spirituum vel hominum in scriptura sacra obuiis, seu oraculis diuinis, absoluta et necessaria veritas obiectiua argumenti competit. Ex quo simul consequitur, quum scriptores librorum canonicorum ob inspirationem diuinam legatis Dei extraordinariis accenseri debeant, 1) omnibus singulisque aliorum sermonibus ab ipsis in litteras relatis *historicam* enarrationis veritatem tribuendam esse, sine qua ne reliqua quidem veritas sermonum DEI, CHRISTI, angelorum hominumque diuinitus ablegatorum constare posset; 2) ad veritatem obiectiuam argumenti sermonum omnium in scriptura sacra obuiorum, atque ad nullam supra memoratarum classium diuinae

Differentia  
veritatis ob-  
iectivae in  
sacris litteris.

F

aucto-



auctoritatis referendorum, efficiendam praeuium examen rationum, quibus innitur, non solum opus sed necesse esse; et 3) denique diuinam et infallibilem auctoritatem narrationis sermonum in sacris litteris exhibitorum ab indubia diuinaque auctoritate ipsorummet sermonum comperatorum, ipsaque ueritate argumenti illorum certa et infallibili magnopere differre, atque hanc posteriorem ueritatem obiectiuam et *historicam*, et *dogmaticam* et *moralem* a bene multis sermonibus in scriptura sacra obuiis, tam angelorum malorum quam hominum diuina inspiratione et auctoritate destitutorum, indubie abesse salua infallibili illorum uere sic habitorum enarratione eiusque ueritate historica.

Quum in ipsis sermonibus diuinae auctoritatis subinde quaedam ex aliorum sententia falsaque opinione proferantur vel confutanda vel improbanda: abunde patet, ea omnia, quae de discrimine sermonum narrationumque ad scriptores sacros pertinentium, a sermonibus aliorum recitatis supra disputantur, hic perinde ualere, atque sermonem proprium a sermone relato, ratione ueritatis argumenti habita, euidenter disternere. Sermones et IOBI et trium eius amicorum ELIPHASI, BILDADIS et ZOPHARIS falsa et erronea continere, cum ipsa rei euidentia tum propria confessione DEIque improbatione solemni indubium est, licet scriptio ab ipsis dictorum diuinae auctoritatis sit, quae, si effici posset ipsum IOBVM fuisse scriptorem libri a se denominati luculento discrimine a ueritate sermonum ipsiusmet scriptoris diuinitus acti, sed sine inspiratione habitorum discreparet. De quo ipso tamen discrimine aliis exemplis satis constat: quum non solum *apostolorum* uarii sermones ab *euangelistis* commemorati ueritate infallibili auctoritateque diuina careant, quam effusione spiritus sancti extraordinaria postea demum consecuti sunt, eamque ad officia muneris publici legationisque diuinae peragenda restrictam; uerum etiam DAUIDIS inspirationem dudum consecuti, epistola indubie ἀθεόπνευστος commemoratur, eiusque particula insigniter praeuicatoria recitatur 2 SAM. XI, 15. A sermonibus 1 SAM. I, 14 et MATTH. XXVI, 61 obuiis ueritas

*historica*

*historica* argumenti indubie et insigniter abest; a dictis recitatis ROM. III, 8. I COR. XV, 12. 13. 14. ACT. XVIII, 28. 35, veritas *dogmatica*; et a IO. XVIII, 17. 25 atque ACT. XII, 22 veritas *moralis*: cui tamen neque ACT. XX, 25 neque ROM. XV, 24 repugnat, etiamsi statuatur et rediisse PAVLUM ad illas oras eodemque reuississe homines, quibus vltimum vale dixerat, quod ex historia vitae illius postremisque litteris ab ipso scriptis euidenter apparet, et eundem in *Hispaniam* nunquam venisse, quod tam verisimile est, quam quod maxime; quum inspiratio ad certam futurorum cognitionem non spectat, quae reuelationis est ACT. XXVII, 23. 24, cum inspiratione non confundendae.

## XX.

Sicut vera aequae ac falsa falsi pariter ac veri cognitio datur, omnis vero conuictio ex sermonibus librisque determinanda cognito demum perspectoque sensu illorum vero obinetur, atque adeo a veritate sensus seu *hermeneutica* pendet: ita indubium est 1) ex veritate *hermeneutica* oraculorum diuinorum seu sermonum DEI, CHRISTI, diuinitusque legatorum vel angelorum vel hominum legitimam et necessariam dari consequentiam veritatis obiectivae eorum omnium, quae per euictum illorum sensum in illis perhiberi deprehenduntur; 2) ex falsitate argumenti huiusmodi oraculorum indubiorum ab interprete perhibiti aliunde indubie demonstrata et euicta, conclusionem valere ad falsitatem sensus efficiendam seu errorem *exegeticum* demonstrandum; 3) neutram harum argumentationum locum habere in sermonibus angelorum hominumque diuina inspiratione destitutorum, quos scriptores sacri in litteras retulerunt; 4) a veritate obiectiva seu argumenti sermonum, ne diuinorum quidem, per aliquam interpretationem constituti, nequam recte colligi aut legitime concludi posse veritatem sensus seu *hermeneuticam*; 5) falsitatem *hermeneuticam* sensus vel certissime euictam non valere ad ea falsa efficienda, quae per eiusmodi interpretationem

Nexus veritatis hermeneuticae cum obiectiua in sacris litteris.

nem perperam pro sermonis explicati argumento habentur; et 6) denique impugnata et negata veritate *hermeneutica* interpretationis alicuius neque impugnari neque negari veritatem obiectiuam argumenti aliunde efficiendi, sed perperam sermone inuestigando attributi atque pro illius sensu habiti.

Aliter longe se res habet, si quis non solum oracula ad vnum omnia, quibus sanctior doctrina quaedam comprobatur, ita interpretaretur vt inepta euaderent ad eius fidem faciendam, verum etiam consequutiones et argumentationes ex alijs vel scripturae locis vel doctrinis inter se comparatis deriuatas infirmatum et oppugnatum iret: quod certe sine grauissima suspitione facienda et erroris oppositi et insidiosae maliuolentiae in eandem fieri neutiquam potest. Si ab hac praeuaricatione cauetur, tantum abest vt sanctiores doctrinae ex se uero examine sollicitoque delectu oraculorum ad illas efficiendas confirmandasque adhibendorum quidquam detrimenti capiant aut imminentis periculi vereantur, vt nulla re alia veritati illorum stabiliendae, rectius consulatur, quae non a numero sed vi et perspicuitate argumentorum pender, atque veritate hermeneutica oraculorum ad illas communiendas excitatorum carere nequit. Difficilibus saltem et morosis aduersarijs causam agendam prodere latusque apertum praebere velle videretur, qui dubiae et improbabilis, nedum certo falsae interpretationis etiamsi vulgatissimae oracula opponeret, atque in illorum sensu pertinaciter vindicando operam perderet, in alijs testimonijs verae interpretationis vrgendis rectius collocandam.

## §. XXI.

Partes interpretis ex hac veritatis hermeneuticae et obiectivae copulatione.

Iure igitur requiritur ab interprete scripturae sacrae: 1) vt neque detrectet aut refugiat, neque nihili referre aut ad se minus pertinere existimet examen veritatis obiectivae sensus pro hermeneutice vero habiti; quod ad argumenti sermonum diuinorum veritatem hermeneuticam efficiendam et vindicandam summopere necessarium est, si vel leuissima falsi suspicio aut insinulatio locum habet (§. XVIII et XX);

2) vt

2) vt licet cuius falsitas obiectiua sensus sermonum diuinorum ad illum improbandum sufficiat, sola tamen vel persuasione vel conuictione veritatis obiectiuae sensus obuii, ad amplectendam tuendamque veritatem hermeneuticam eiusdem desultorie abripi se neutiquam patiatur (§. XXI); 3) vt aequae sibi caueat a praecipitanda improbatione sensus verisimilis visi, ob solam formidinem difficultatum in concilianda illi veritate obiectiua obuiarum, sine sufficiente earundem examine aut tentata solutione; quam approbatione illius, ob solam faciliorem et speciosorem demonstrationem veritatis obiectiuae argumenti eodem exhibiti; 4) vt in omni hoc negotio examinandae veritatis obiectiuae sermonum diuinorum, demonstrationem argumenti illorum aliunde petendam, ab euictione falsitatis, contradictionum, errorum apertorum, pugnarumque cum doctrinis indubiis, quarum cum aliqua veri specie infimulatur, probe distinguat, neque illam a se praestandam esse arbitretur, ne hanc perperam recusare videatur; 5) vt in explicandis sermonibus diuina origine et auctoritate desituti, licet diuinitus in litteras relatis, pro aequitate interpretandi sensum quidem veritati obiectiuae conuenienter, aliis interpretationibus praeferre studeat, si reliquae rationes pares et aequales fuerint, nulla tamen vel suspitione vel conuictione falsitatis argumenti impediatur a sensu amplectendo caetera probabilior; et 6) denique, vt ob difficultates et obiectiones etiamsi vel maxime insuperabiles sibi visas, neque sensum sermonum diuinorum, de cuius veritate hermeneutica legitime cuius aliunde constare videtur, temere reiiciat et improbet, neque multo minus vel sermonis vel libri ipsiusmet, quo comprehenditur, diuinam inspirationem indubiamque auctoritatem sollicitandam aut inficiendam sibi sumat.

Qui *primae* regulae refragantur, eaque de auctoritate et indubia veritate librorum diuinitus scriptorum ipsorumque oraculorum indubiorum quidquam detrahi existimant, parum cogitare videntur,



tur, inter vtramque sententiam de absoluta et necessaria veritate rei ex oraculis diuinis propositae, et de falsitate indubiae auctoritatis et necessariae veritatis eorundem, dari tertiam intermediam de falsa et erronea interpretatione illorum; neque diuinorum sermonum indubiam auctoritatem eorundem intelligentiam praestare indubiam, et ab errandi discrimine immunem. Neque verendum est, ne hoc examine veritatis obiectiuae argumenti oraculorum diuinorum sensus eorundem rationi humanae subiiciatur ab eaque determinetur: quum omne hoc negotium, vt ex illis, quae postea disputabimus, clarius apparebit, ad analogiam fidei seu ambitum doctrinarum diuinitus reuelatarum exigatur, intellectu quidem et facultate meditandi ratiocinandique perspicendum et recognoscendum, per rationis tamen principia et doctrinas neutiquam constituendum aut circumscribendum. De regularum *tertia*e et *sexta*e obseruantia nemo facile ambiget, qui non ignorat, non solum veritatem ipsam factam tectamque manere, verum etiam veri certique conscientiam et sufficientem conuictionem posse apud aliquem locum habere, etiamsi ad confutandas euertendas debellandasque quasuis obiectiones motas perspicendamque falsitatem illarum et conuellendum errorem commissum minus valeat, vel dexteritate vel subsidiis vel otio ad hanc indaginem destitutus. Cuius vel immemores vel ignaros fuisse arbitramur, qui huiusmodi difficultatum praetextu cantico SALOMONIS, hymno DEBORAE *Iudic. V*, 1 etc. obuio, aliisque vel libris canonicis vel partibus eorundem diuinam inspirationem et auctoritatem abiudicatum inerunt.

## §. XXII.

Quae sensum  
verum deter-  
minent.

Quum sermonum sensus vocum et locutionum significationibus carere nequeat (§. XVI), verus autem sensus a fine loquentis pendeat (§. XVII): consequitur 1) vtramque inuestigationem et significationum et finis concurrere debere ad constituendum efficiendumque verum sensum; 2) requiri, vt tam singulae particulae, quam integer complexus illius non solum neutri harum rerum repugnet, verum etiam per vtramque determinetur; 3) duplici hoc principio absolui  
ratio-





Hic repetam, quae de consilio scribendi has dissertationes hermeneuticas ad primam illarum commemoravi, neque morae diuturnioris, quae inter utramque intercessit, rationes explicabo aut culpam excusabo, sed ea duntaxat breuiter et summatim proferam, quae ad disciplinam fidemque, in quam concessisti, pertinere videntur. Quum enim mandato regio obsequuturus atque edito dexteritatis specimine tirocinium publice positurus solemnem missionem a me potissimum, cui maxime innotueras stadiique academici decursum approbaueras, impetrandam cupere praestolarique voluisti: ipse mihi indignarer si committerem ut sine publico testimonio et commendatione mea ex hac ingeniorum palaestra discederes. De quo haec habeto. Quatuor annos in hac academia bonarum litterarum et sanctioris doctrinae studia ita tractasti ut nihil illorum negligendum duxeris, quibus scientia Theologo vsui futura parari perficique posse videtur. Praeter aliorum auditiones ad philologiam sacram, historiam sanctiorem, mathesin puram omnemque philosophiae theoreticae et practicae ambitum ediscendum comparatas, scholis meis dogmaticis, hermeneuticis, exegeticis, theologiae moralis, et antitheticis operam dedisti, exercitationibus etiam disputandi interfuisti, laudabilem semper proficiendi ardorem prae TE ferre visus. Neque minus vitae morumque rationes ita subduxisti ut consiliorum et monitorum cupidum TE, nec impatientem sed obsequenter studiosum praebueris. Age nunc, carissime *Strobach*, hanc ipsam laudem temporis academici non male aut otiose consumpti, sed recte et diligenter collocati, atque bonam spem, quam praeceptoribus de TE fecisti, TIBI in patriam reduci grauem aduersariam constitutam esse cogita, non vincendam sine virium contentione aucta magis quam imminuta, studioque intensissimo progressuum faciendorum in doctrinarum incrementis capiendis aequae ac fructibus ferendis DEOque consecrandis. Totus igitur in eo elabora, ut argumenti, quod iam disputas, nunquam immemor, voluntatis diuinae in sacris litteris propositae fidem sagacem et sollicitum interpretem agas, rerumque sacrarum intelligentiam ex vnico hoc fonte hauriendam in TVVM aliorumque vsum transferas, a contemtu et profanatione fortiter vindices omnique virtutum genere condecoras atque intemerate ad posteritatem propages. Quoque ut diligenter facias indulgentissimum DEI O. M. numen, cui innumera beneficia accepta refers, praesens TIBI et propitium ex animo comprecor, cuius prouidae curae sanctiorique necessitudini meis supplicationibus, si TVAE accesserint, commendatissimus rem TVAM recte ages atque utilitati publicae inseruias feliciter. Dedi Halae ad Salam  
in acad. Frider. d. V. Maj. 1802.



153596

8

AB: 153596

X 2261989

188






SIGSI  
IN  
HERM

SCR

BRE

APV



B.I.G.

Farbkarte #13



ARTEN  
VM  
ARVM

CRAE

TICI

CCLII.

